



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XIII. Mors Ludouici Theoduli; vnde materia suppetit ad duos alios Episcopos remunerandos. Liberum Legatorum responsum memoratis litteris Borromaei. Agitata ab ipsis cum Lotharingo super septimo ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

*Mors Ludouici Theoduli; unde materia suppetit ad duos alios Episcopos remunerandos. Liberum Legatorum responsum memoratis litteris Borromæi. Agitata ab ipsis cum Lotharingo super septimo & octauo Canone. Dies Sessioni delectus. Difficultates obiecte Lotharingo à suis, & ab Hispanis. Ipse & Madruccius destinati ad componendam controuersiam de mansionis Decreto.*

**I**N cunctis expeditionibus, siue bellicis siue ciuilibus, nulli maius famæ præmium debetur, quàm illi, cui profusâ ibi vitâ nullum aliud præmium reddi potest. Vt hanc ego legem obseruem, enarrandum mihi est, id temporis, hoc est decimo Ianuarij, naturæ cessisse Ludouicum Theodulum Foroliuiensem, Bertinori Antistitem, quem abundè laudatum comperio <sup>a</sup> ex probitate ac doctrina, quâ viuens collegas adiuuerat, & ex pietate quâ moriens ad eam excitauerat. Sed cum verè contingat perinde in ordine naturali ac in politico, vt corruptio vnus sit generatio alterius, huius obitus opportunitatem Legatis præbuit commendandi Pontifici duos Episcopos Concilij <sup>b</sup>, qui plurimum merebantur. Alter fuit Egidius Falcetta Cingulanus, cuius operam Borromæus iam destinarat suæ Mediolanensis Diœceseos vtilitati, & cuius Ecclesia Capulana <sup>c</sup> erat pauperrima prouentuum, ac reliquarum omnium conditionum, ex quibus domicilium perpetuum fit tolerabile. Alter, Iulius Soperchius Mantuanus, Carmelita, cui mendicus Episcopatus Acciensis nihil aliud de Episcopi munere conferebat, nisi obligationem habendi se pro Episcopi dignitate: quare prosperitatis loco accepisset, quod Falcetta tamquam miseriam relinquere cupiebat; cum hoc præstet miseri præ diuitis statu, quod vni facilis est ingens lætitia, alteri agrè possibilis. Pro vtraque parte preces exaudita.

<sup>2</sup> Sed non æquè placuerunt Legatis quæ de publico negotio Româ rescripta fuerant. Credi vix potest, quàm molesta ad ipsos perueniret Borromæi responsio, de qua diximus. Statim Lotharingo eam ostendêre, vnâ cum animaduersionibus illi adnexis super forma Canonum ac decretorum; qui alienum omninò animum præ se tulit. Idcirco illi eò acrius extimulati sunt, tum ex molestia nouæ offensionis, tum ex auctoritate alieni iudicij ad ea improbanda, Romam

<sup>a</sup> Litteræ Fulcaratij ad Moronum 10. Ian. & Iadrensis ad Cornelium 21. Ianuarij 1563.  
<sup>b</sup> Litteræ Legatorum ad Borromæum 11. Ianuarij 1563.  
<sup>c</sup> Constat ex litteris Vicecomitis ad Borromæum 2. Febr. 1563



1563.

Romam scribentes acribus formulis, ac penè dixerim felle permixtis. Primo locoangebantur, se nesciuisse tot scriptis ac nuntijs fatis exponere Pontifici, eiusque Consiliarijs, illius Concilij statum, & quam periculosum foret quodcumque aliud susciperetur consilium, præter pacificum illius exitum: cui aduersari videbantur ea mandata, vt certa quedam exequerentur, etiam quocumque mortalium repugnante; & simul, quantum difficultatis euincendum, quantumque industriæ impendendum, quò hic pacificus exitus haberetur; ac proinde quàm dissentanea rerum conditionibus essent mandata limitata ac præcisa, perinde ac si vna eademque res foret, velle ac posse. Durissimo Legatis esse obstaculo firmam eorum coniunctionem, qui addicti Pontifici non habebantur; sed non minùs firmam discordiam eorum, qui se illius studiosos prohibebantur, quæ ortum ducebat à singulorum cupiditate ostentandi maioris studij in Apostolicam Sedem ac Pontificem. Dicebant deinde, animaduersiones ad se missas Româ, Patribus ac Theologis Tridentinis visas non fuisse tanti pretij, quanti tempus ab eorum auctoribus ad id impensum, neque pares aliorum expectationi; quin plenè iam excogitatas à doctis viris Concilij, adeoque tales, vt earum causâ, aliarumque plurimarum, etiam non minoris momenti, ne vnum quidem diem Sessio retardanda esset. Fuisse tamen illas à se communicatas cum Lotharingo, vt ostenderent se illi fidere, & ex sua propensione, & ex iussu Pontificis; sed eas primo aspectu nihil illi satisfecisse; cum indignas putaret & loco vnde prodierant, & hominibus qui eas dictarant. Ab eodem postea vnâ cum Madruccio, Legatos inuisente, id ipsum confirmatum. In primis mirum omnibus accidisse, quòd Romæ non fuisset animaduersum, si Concilij Florentini verba proponerentur, non tentatis antea inflexisq; Patrum animis, faciliè excitatum iri disputationem, omni studio fugiendam, de Pontificis auctoritate: à Lotharingo subinde difficultates expositas fuisse, in quas offendeat in forma Canonum Romæ concinnata, cui cum responsum fuisset à Legatis eâ lenitate, quæ conditionem & iuris & negotij decebat, in hoc tandem consilium eum deuenisse, iniquitatem temporum postulare, vt tum per Decreta doctrinæ, tum per Canones, statueretur Pontificis auctoritas; se verò arbitrari opus esse, vt id præmitteretur Episcoporum auctoritati, tamquam inferiori, & à Pontificia pendentem, mutato Canone octauo in septimum, & septimo in octauum: à se quidem operam nauatum iri, vt prior communiter exciperetur ijsdem verbis Româ missis, vnico adiecto ob respectum postea



posterioris, sicuti videbimus: in posteriori existimari à se opportunas mutationes quasdam, quas scripto exhibebat. Hæ vero quatuor omnino fuere.

3 Prima in primo Canone habenda respectu secundi erat, ut nominaretur Romanus Pontifex non simpliciter *Christi Vicarius*, sed, *Supremus Christi Vicarius*: cum utique Episcopi quoque, atque etiam simplices Sacerdotes sint aliquo modo Christi Vicarij ex Canone *Mulierem*, in causa 33. quæst. 5. idque Romanum scriptum fatebatur.

Secunda, ut si Canon septimus poneretur secundum primam ex tribus formulis Romæ missis, delerentur ea verba, *in partem sollicitudinis*, ac merè diceretur, Episcopos à Pontifice assumptos, à Spiritu sancto positos esse.

Tertia, ne exprimerentur functiones Episcoporum, quin simul adijceretur, eos posse *regere ac sacris interdicerè*, quod pertinet ad iurisdictionem.

Quarta, ne dicerentur simpliciter *maiores*, sed, *superiores* Presbyteris, quod auctoritatem importabat.

4 Pergebant Legati, coactum à se fuisse ad deliberandum peculiarem cœtum Patrum, quorum alij Theologi erant, alij Canonum periti, additis tamquam viris bene cordatis Marco Antonio Columna Archiepiscopo Tarantino, & Dominico Bolano Episcopo Brixienti, & omnes consensisse ut ea admitterentur, exceptis Petro Antonio Capuano, Archiepiscopo Hydruntino, Alexandro Sfortia, & Sebastiano Vantio Episcopis, altero Parmensi, altero Vrbeuetano, qui plus minúsve se alienos ostenderant: sed ipsorum difficultates fuisse à reliquis aptè dissolutas. Et sanè compendiosè, Scripandum semel ardentè inuectum esse in morosam illam auersationem ab omni verborum formula, quod ea possent perperam detorqueri, admonentem, ne Spiritum sanctum quidem voluisse hanc immunitatem concedere suis effatis, cum permitteret, ut ea subiacerent sinisteris interpretationibus, in quas ab hæreticis in diestrahebantur. Addebant in suis litteris Legati, Scriptas fuisse eas appendices & mutationes, quæ censoribus probabantur, missalque ad Lotharingum: qui cum ipsos inuideret, ægrum animum præ se tulerat, fassus spem sibi non esse, effecturum se, ut illæ ab Hispanis Gallisve reciperentur, quin nec se ipsis assensurum, nisi à Spiritu sancto aliter impelleretur. Tum verò Legatos, malorum sollicitos, quæ præuidebant nisi concordia obtineretur, cum præsertim ille postremus iam dies esset ad futuræ Sessionis diem describendum, iniunxisset Paleotto, ut ipse digereret vltimum do-

Hæc fusè habentur in Actis Romanæ ar. 15. & Palecti, & in litteris Legatorum & in scriptis ad h. Actis volumini litterarum Struzzi ad Cæsarem Ducem, & in Epistola Felca v. r. i. ad Mercurium 18. Januarij 1563.

In Actis Palecti.

Historia  
cily Trid.  
Ar. III.  
LIV  
7



1563.

trinx caput, duosque postremos Canones, pro eo ac idem arbitra-  
 retur id conformari sensibus vtriusque partis: quæ ambæ illis au-  
 ditis consensum illicò absque contentione præbuerunt, & eorum  
 omnium exemplum ad Borromæum miserunt. Visum esse Lega-  
 tis, particulam illam adiectam, *assumptos à Romano Pontifice*, vali-  
 dum esse alexipharmacum aduersus quamcumque iniquam reli-  
 quarum vocum interpretationem, quippe quæ vnà cum eo addita-  
 mento non nisi de iurisdictione intelligi poterat. Et quamquam  
 non exprimeretur, Episcopos assumi in partem sollicitudinis, tamen  
 id colligi per euidentem consecutionem, quandoquidem formis  
 amplissimis ac præualidis suprema Romani Pontificis auctoritas  
 firmabatur; adeoque exponi non poterat, eos assumi nisi in eam  
 partem, in qua Pontifex illis indigebat ad Ecclesiam administran-  
 dam. Existimasse Præsidēs, eiusmodi consilium suscipi posse: si-  
 quidem hinc Pontificis Romani prærogatiua post tam atroces re-  
 centium hæreticorum oppugnationes confirmabatur, nulla ex par-  
 te quidquam diminuta; hinc vbi ea concordia non succederet, Lo-  
 tharingus apertè prædixerat, numquam celebratum iri Sessionem:  
 quod extremam offensionem illaturum fuisset nationibus Transal-  
 pinis, cum ipsis innotesceret, non posse Catholicos de Romani  
 Pontificis auctoritate conuenire. Præterquam quòd timenda esset  
 contestatio, nec ea quidem simplex, sed fortasse cum prouocatio-  
 ne ad aliam Synodum liberiolem, & per formarum acerbicatem,  
 quæ ab ira dictari solet: posse quoque ex huiusmodi discrepanti-  
 a sequi Synodi dissolutionem, cui se numquam consensuros Legati  
 profitebantur sine disertis mandatis, & à Pontifice subscriptis.  
 Cum enim ex ea grauissimæ calamitates Ecclesiæ prænoscerentur  
 ab ipsis, æquum non esse, vt in se tota cùlpa recideret, qui ope-  
 ram illi non contulerant, imò repugnarant, vtpote qui si summi  
 boni auctores esse non poterant, nolebant cladium esse administri.  
 Itaque præciperet Pontifex in tempore, siue vt consilium illud ac-  
 ciperent quod bonum sibi videbatur, siue vt eo reiecto sinerent  
 quodcumque incommodum inde succedere. Animaduerti coniun-  
 ctionem Cæsarianorum, Gallorùm & Hispanorum, quæ ex concor-  
 dia petitionum inter Cæsarianos & Gallos, quæ ex indulgentia  
 Hispaniensium Gallorum voto de mansionis negotio post tot cla-  
 mores, totiesque patefactam ipsorum mentem: & hinc esse verissi-  
 mile, Gallos vicissim cum Hispanis de alijs argumentis conuentu-  
 ros. Narrabant, à se ductis eà spe concordia, die xv. in cœtu vni-  
 uersali, & ex vniuersali consensu, fuisse præscriptam Sessionem  
 die



die quarto Februarij, ibique simul statutum, vt ab ipsis aliqui deligerentur ad conficiendum mansionis Decretum: habere se in animo, duos Cardinales, Lotharingum & Madruccium eligere; hunc, tamen iuuenem, præditum esse peritiâ, prudentiâ, ac singulari in Pontificem studio, adeoque eius operam non nisi prudentem & opportunam rebus agendis euasuram. In hanc sententiam ad Borromæum Legati scribere.

1563.

5 Ea Sessionis denuntiatio ad quartam Februarij diem <sup>f</sup> proposita fuerat à Mantuano verbis perpauca, vt fieri solet in ijs quæ dicenti simul & audienti displicent; omnesque consenserant præter Antonium Ciureliam ex Bario, Budoensem Antistitem: in altera deliberatione, vt Legati deligerent Decreti correctores, nemo dissenserat.

<sup>f</sup> Diarium  
15 Ian. 1563

6 Legatorum epistola modò exposita, quod spectabat ad priorem partem de animaduersionibus Româ missis, adeò aculeata visa est Pontifici, vt <sup>g</sup> per Vicecomitem Tridentum redeuntem ipsos, & Olium, qui erat à Secretis, monuerit, ne Romam scriberent, nisi tam placidè, vt litteræ legi possent in Romanis cœtibus absque auditorum offensione. Verùm eadem Legatorum epistola non seiuncta perrexit ab altera, ab ipsis paucas post horas Romam scripta, quâ tota negotij facies mutabatur. <sup>h</sup> Nam eodem die Lotharingus ad se Paleorum acciuerat, ei que significarat, se non potuisse, quantis adhibitâ diligentia, suos & Episcopos & Theologos adducere ad Decretum illud Canonisque acceptandos.

<sup>g</sup> Ex Epist.  
Vicecomitis  
ad Borrom.  
3. Febr. 1563

<sup>h</sup> Litteræ Legatorum  
16. Januarij  
1563. ad  
Borromæum.

7 Nolebant, vt apponeretur in Decreto, ab Episcopis locum obtineri à Romano Pontifice dependentem; obijcientes, in Ordine illos certò non pendere, & in Iurisdictione, in controuersia id versari.

Præterea in Canone, qui recenter septimus erat, non admittebant ea verba, inesse potestatem summo Pontifici regendi Ecclesiam vniuersalem; cum illa officerent sententiæ neganti eum esse superiorem Concilio; ac proinde, loco *Ecclesiam vniuersalem*, ponendum esse, *omnes fideles, & omnes Ecclesias.*

Tertiò volebant in altero Canone, vt liquidò declararetur, esse institutos Episcopos à Christo, non adiectis illis vocibus, *assumptos auctoritate Romani Pontificis*, sed simpliciter, *assumptos à Romano Pontifice.*

Denique non consentiebant, vt diceretur, *esse Romanum Pontificem æqualem Petro in auctoritate regendi*: siquidem vbi maior est sanctitas, ibi pariter, aiebant, auctoritatem esse maiorem; ac propterea posse quædam à Petro confici, quæ successoribus negabantur, cuiusmodi erat, libros Canonicos dictare.

Hæc

Historia  
cily Trid.  
1563  
III  
IV  
V



1563.

Hasce difficultates distinctè Paleotto tunc non exposuit Lotharingus, sed tantummodò excusauit se, quòd antea considerat supra quam posset; vt qui sibi persuaserat, quemadmodum à se doctoribus satisfactum fuerat, id sibi apud reliquos euenturum, quòd postea re ipsa, quantauis impensà industrià, non euenerat, spem tamen reliquit rei aliquo pacto conficiendæ.

i Litteræ Legatorum ad Borromæum 18. Ian. 1563

His commoti Præfides, detento tabellario iam equum ascensuro, prioribus litteris posteriores addiderunt. Postea verò Osius & Simonetta cum Lotharingo collocuti sunt<sup>i</sup>, quòd id perficeretur quòd antea statutum fuerat. Sed ille nihil ampliùs præstare potuit, quam ingenuè fateri, affirmantem sententiam sibi probari, sed vires non suppetere ad suos Gallos aliosque dimouendos à sententia pernegante; ac die postero Legatos conueniens idem confirmauit, eisque quatuor difficultates, quas attulimus, distinctiùs exposuit.

k Litteræ Legatorum ad Borromæum 24. Ian. 1563

Idcirco Legati admodum anxij, posse quidem existimabant cum aliquo ex antesignanis facillè rem componi, sed in alijs duriorè difficultatem animaduertebant. Firmi tamen in sententia persistebant, priùs extrema quæque tentanda, quam ad dissidia deueniendum. Quapropter negotium dedere Castanea, Boncompagno, Fichinetto, Paleotto, & Castello, vt quatuor obiecta expendere oportunè: postea verò illorum responsa cum Lotharingo communicarunt<sup>k</sup>, & ipse quoque cum Oratoribus, eos rogans vt concordiam auctoritate officiorum ipsi pariter apud Præfules, & consiliorum prudentià apud ipsos Legatos promouerent. Dura hominis conditio, qui se inter angustias videt aut iacturæ aut dissidij, & in dissidio ingentem etiam iacturam videt.

## CAPVT XIV.

*Decretum de mansione à Lotharingo ac Madruccio reconcinnatum. Nouæ difficultates inde subortæ. Oratorum Gallie colloquium cum Legatis de prerogatiua Pontificis supra Concilium.*

a Litteræ Legatorum ad Borromæum 19. & 21. Ianuarij 1563.  
b eorum semel eundem 24. Ianuarij

**I**nterim Legati duos illos Cardinales destinarunt<sup>a</sup> ad reficiendum mansionis Decretum, cum facultate alios sibi deligendi operam collaturos, delectique sunt quatuordecim, natione varij, & sapientià præstantes. Tum Lotharingus<sup>b</sup> gloriam inuentoris appetens, protulit ex incogitato formam Decreti, aliam ab ea quam in cæteribus Legati proposuerant. In cuius proœmio minutius explicabantur Episcopi functiones: de cetero abstinebat à vocibus,